

theologus episcopi et magister caeremoniarum, cum famulo a cubiculo, praeter archidiaconum, seu 1. U. D.

II. Index praeparandorum a Visitatore pro Visitatione.

1. Edictum generale proponitur pro generali Visitatione cum electione et publicatione coadjutorum.
 2. Praemonitiones fiunt per literas ad parochos.
 3. Ferat secum decreta postremae Visitationis, ut semper quaerat, an executioni mandata.
 6. Conc. Trid. et praxim hanc compendiarum.
 5. Pontificale romanum cum paramenti pontificalibus albi et nigri coloris.
 6. Decreta provinciae suae et Synodi dioecesanae cum edictis generalibus etc.
 7. Instructiones fabricae ecclesiasticae si adsint.
 8. Indicem librorum prohibitorum.
 9. Casus reservati summo pontifici et episcopo.
 10. Indices locorum et personarum quae Visitationi subjacent.
 11. Libellos distribuendos de doctrina christiana et aliis spirituales.
 12. Numismata sacra a summo pontifice benedicta, cereos, agnus dei, sacras imagines et ejusmodi ad pietatem excitandam.
 13. Praemittat episcopus, si opus est, concionatores et confessarios et caeremoniarum magistros.
 14. Faciat sibi indicem praecipuarum quarundam rerum, de quibus interroget.
- Gavant. Merat t. V. p. 60—61 (Ed. Venet. 1823.)

III. Index et ordo agendorum in Visitatione.

1. Recipiatur episcopus in locis insignioribus saltem processionaliter,

ut in pontificali, non extra portam, ex caerem. episcoporum lib. 1. c. 2.

2. In minoribus locis cum rochetto et mozetta, osculo crucis in porta ecclesiae, incensatione a digniori ex clero visitando, induto pluviali albo.

3. Episcopus autem genufl. quidem osculatur crucem, sed stans cooperto capite incensatur.

4. Orat ante altare et apud altare, quod osculatur, benedicit populo solemniter.

5. Si hora est, celebrat missam vel audit, excipit clerum ad obedientiam cum osculo manus, in missa sermonem habet et communicat.

6. Sed facit in sermone, quae habentur in pontificali sed arbitrio suo.

7. Fit confessio et absolutio generalis cum indulgentia post sermonem, quam publicabit canonicus seu parochus ecclesiae.

8. Induitur episcopus amictu supra rochetum, stola, pluviali coloris nigri et mitra simplici, facit absolutionem defunctorum episcoporum et aliorum ut in pontificali, sive per ecclesiam sive per coemeterium procedendo cum cruce, candelabris, aqua benedicta et incenso, clero cantante psalmos et responsoria.

9. Assumpta stola et pluviali albo, accensisque intortitiis, visitat sacrosanctam Eucharistiam, quam prius et postea incensat.

10. Depositis paramenti, visitabit Baptisterum, olea sacra, sedes confessionales, reliquias sacras, tum altaria, capellas, sacras imagines, Sacristiam, coemeterium, baptisterium autem et sacras reliquias cum luminibus accensis et hae incensantur.

11. Postea aedes ecclesiasticas, Hospitalia, confraternitates et loca pia.

12. Pro confirmatione ministranda paratur pluviale et stola albi coloris, sicut etiam pro consecratione, seu

benedictionibus pontificalibus rerum sacrarum.

13. Audit confessiones et quaerelas inquiri, ut opus est de conversatione cleri et populi, de rebus spiritualibus et temporalibus, de libris et ornamentis.

Haec omnia ex pontificali romano hoc eodem ordine et paucis additis.

Annotationes.

1. Visitare deberet prius familiam suam episcopus, deinde alios ordine, quem diximus, Cathedralem, Collegiata, parochiales ecclesias etc.

2. Praedictus tamen ordo est arbitrarius episcopo praesertim si vesperi veniat ad locum visitandum, quo casu fieri poterunt ea tantum, quae usque ad num. 5 sunt praenotata: reliqua mane sequenti.

3. Poterit etiam ad viciniora minime loca mittere coadjutores suos et convocare ad insigniorem locum vicinos populos pro confirmatione.

4. In visitatione monialium audiet eas ad cratem, non intra septa monasteria.

IV. Index observandorum in visitatione locorum.

1. Duae sunt partes visitationis locorum, descriptio eorumdem, prout sunt, et praesertim cum defectibus, ordinatio pro tollendis defectibus.

2. In ipso actu visitationis sola sufficit descriptio. Circa finem visitationis uniuscujusque ecclesiae mature fiant ordinationes et decreta, ex descriptione hausta nisi accidat in aliquibus executio ipsa, ut dicemus in propria indice §. 10. Descriptio consistit in duobus, an sit et quale sit, juxta indices, qui sequuntur.

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

V. Ad recipiendum episcopum solemniter a Clero in Visitatione.

Osculata cruce ab episcopo genuflexo super tapete et pulvino, quam ei offeret rector ecclesiae indutus pluviali albo supra superpelliceum, cantatur antiphona:

Sacerdos et pontifex et virtutum opifex, pastor bone in populo, si placuisti domino.

Si via longior est, adduntur cantica et hymni ex pontificali nimirum: *Benedictus Dominus Deus Israel etc., Te Deum, Veni Creator., Ave Maris stella, hymnus de Patrono loci.*

Tum offertur episcopo ab eodem rectore aspersorium aquae benedictae qua primo seipsum deinde alios aspergit.

Reddito aspersorio offertur eidem navicula, de qua imponit incensum in thuribulum cum benedictione, ministrante naviculam eodem rectore: a quo et incensatur triplici ductu.

Accedit episcopus ad altare majus, ubi orat et rector ecclesiae stans in cornu Epistolae altaris versus episcopum dicit:

☩ *Protector noster aspice deus.*

℞ *Respice in faciem Christi tui.*

☩ *Salvum fac servum tuum.*

℞ *Deus meus sperantem in te.*

☩ *Mitte ei domine auxilium de Sancto.*

℞ *Et de Sion tuere eum.*

☩ *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℞ *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

☩ *Domine exaudi orationem meam.*

℞ *Et clamor meus ad te veniat.*

☩ *Dominus vobiscum.*

℞ *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris, praetende societati nostrae gratiam tuam: ut per eos, in quibus habitas, tuum in

nobis sentiamus adventum. Per Christum dominum nostrum.

R Amen.

Ascendit episcopus ad altare, quo osculato in medio solemniter populum benedicit.

Preces pro absolutione defunctorum facienda in visitatione episcopo.

Visitator incipit Antiphonam: *Si iniquitates.*

Deinde cum clero dicit psalmum: *De profundis; in fine: Requiem aeternam.*

Tum dicit totam Antiphonam: *Si iniquitates observaveris domine, domine quis sustinebit.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, quod secreto completur. Interim aspergit ter ante se aqua benedicta et imposito incenso in Thuribulum cum benedictione ter incensat eodem modo. Quo facto dicit: Et ne nos inducas in tentationem.

R Sed libera nos a malo.

V In memoria aeterna erunt justi.

R Ab auditione mala non timebunt.

V A porta inferi.

R Erue domine animas eorum.

V Requiescant in pace.

R Amen.

V Domine exaudi orationem meam.

R Et clamor meus ad te veniat.

V Dominus vobiscum.

R Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum.

R Amen.

Praedicta dicuntur tantum visitante episcopo. Quae sequuntur, communia sunt Episcopo et Visitoribus inferioribus.

Cantatur Responsorium: Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum: Tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiae.

V Qui venturus es judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Tu eis etc.

Et praecedente cruce cum Acolythis et candelabris accensis, aqua benedicta et incenso proceditur ad coemeterium, seu circa sepulchra ecclesiae dicendo Antiphonam et psalmum, ut supra: et in medio coemeterii seu ecclesiae cantatur Responsorium:

Libera me domine de morte aeterna in die illa tremenda.* Quando coeli movendi sunt et terra.* Dum veneris judicare saeculum per ignem. V. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.* Quando. V. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde.* Dum veneris. V. Requiem aeternam dona eis domine: et lux perpetua luceat eis. Libera me Domine de morte aeterna, in die illa tremenda.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Interim imponitur incensum in Thuribulum. Pater noster.

Aspergit et incensat visitor de more et postea dicit: Et ne nos inducas in tentationem.

R Sed libera nos a malo.

V In memoria aeterna erit justus.

R Ab auditione mala non timebit.

V A porta inferi.

R Erue domine animas eorum.

V Requiescant in pace.

R Amen.

V Domine exaudi orationem meam.

R Et clamor meus ad te veniat.

V Dominus vobiscum.

R Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famularibus tuis et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laentur. Per Christum Dominum nostrum.

R Amen.

V Requiem aeternam dona eis domine.

R Et lux perpetua luceat eis.

Duo cantores dicunt:

V Requiescant in pace.

R Amen.

Et producto signo crucis ab omni parte super coemeterium reditur ad ecclesiam, dicente clero sine nota totum psalm., Miserere, cum: requiem aeternam in fine.

Ante altare majus dicit visitor in medio stans: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

V Et ne nos inducas in tentationem.

R Sed libera nos a malo.

V A porta inferi.

R Erue domine animas eorum.

V Domine exaudi orationem meam.

R Et clamor meus ad te veniat.

V Dominus vobiscum.

R Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quaesumus domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut inter sanctos et electos resuscitati respicient.

Per Christum dominum nostrum.

V Amen.

Et prosequitur

I. Visitationem localem et material.

- 1) De ss. Eucharistia,
- 2) ,, Altaribus,
- 3) ,, Baptisterio,
- 4) ,, Doctrina christi.
- 5) ,, Ecclesia,
- 6) ,, Euneribus,
- 7) ,, Imaginibus,
- 8) ,, Indulgentiis,
- 9) ,, Legatis piis,
- 10) ,, ss. Missae sacrificio,
- 11) ,, ss. oleis,
- 12) ,, ss. reliquiis,
- 13) ,, Sacristia,
- 14) ,, Sedibus confessional.
- 15) ,, Seminariis,
- 16) ,, Aedibus ecclesiasticis,
- 17) ,, Hospitalibus et locis piis,
- 18) ,, Oratoriis,
- 19) ,, Oratoriis viarum vel capellulis,
- 20) ,, Monasteriis monialium.

Vd.: *Visitat.* (ss. Sacram., altar. Baptist. etc.)

II. Visitationem personalem.

- 1) De Administratorib. piorum loc. et confratrum,
- 2) ,, Beneficiis,
- 3) ,, Cancellario,
- 4) ,, Capitulo et canonicis,

- 5) De Clericis,
- 6) „ Communione,
- 7) „ Confirmatione,
- 8) „ Confraternit.,
- 9) „ Eremitis,
- 10) „ Foeminis piis,
- 11) „ Gymnasiis,
- 12) „ Laicis,
- 13) „ Matrimoniis,
- 14) „ Monialibus,
- 15) „ Officialib. cleri,
- 16) „ Parochis,
- 17) „ Poenitentia,
- 18) „ Presbyteris,
- 19) „ Regularibus,
- 20) „ Vicario foraneo (Decano rurali).

Vd.: *Visit.* (Administr., benef., capituli etc.)

Preces in fine visitationis pro defunctis, ut in pontif. romano.

In fine visitationis stans ante altare in cornu epistolae versus ad illud visitator dicit psalmum: De profundis etc.

Pater noster.

✠ Et ne nos etc.

℞ Sed libera etc.

✠ A porta inferi.

℞ Erue domine animas eorum.

✠ Requiescant in pace.

℞ Amen.

✠ Domine exaudi orationem meam.

℞ Et clamor etc.

✠ Dominus vobiscum.

℞ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulibus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laentur. Per Christum dominum nostrum.

℞ Amen.

Ad integritatem visitationis minime sufficit omnes sacerdotes simul etiam ad Synodum dioecesis convocare et ibi de singulis, quae in visitatione perquirenda sunt, eos interrogare, sed opus est per parochias discurrere et ecclesias ipsas, loca, res et personas oculari subjicere conspectioni et cognoscere, quomodo populi audiant divina et caetera ad christianitatem attentione peragant; et ob id praecipitur singulas parochias regulariter esse lustrandas. C.: *Romana* in 6 in princ. et ibi glossa (*accedere*) quae ait: patet ergo, quod tenetur ire nec sufficit ad suam ecclesiam convocare.

Pax Jord. vol. 2. l. 7. tit. 1. n. 45 de gener. visit.

Bene verum est, quod si commode et absque difficultate accedere ad unamquamque ecclesiam non possit, forte propter nives, glacies, aquarum inundationes et similia, de pluribus locis ad unum congruum clericos et laicos convocare debet, ne ab impeditis visitatio totaliter auferatur.

Idem ibid. n. 46.

q) Obedientia praestanda.

Vd.: *Visit. Monial.*; *Vis. episc.* (Jus et Oblig., de cr. *Pacen.*)

Theatina.

(Conc. Trid. C. 3. s. 24. de ref.)

Anno 1703 archiepiscopus Theatinus solemniter ingressus prima vice oppidum Vasti ad ecclesiam s. Mariae accessit et quia praepositus et clerus ecclesiae s. Petri renuit illi obedientiam praestare in dicta ecclesia s. Mariae plures exortae fuerunt controversiae super quibus prae ceteris haec duo sequentia dubia proposita fuerunt in hac sac. Congregatione die 19. Jul. 1704.:

I. *An clerus ecclesiae s. Petri terrae Vasti teneatur praestare obedi-*

tiam in actu visitationis in eadem propria ecclesia s. Petri? et quatenus negative,

II. *An d. clerus ecclesiae s. Petri obedientiam praestare teneatur in ecclesia s. Mariae?*

Et sub die 9. Aug. sequentis prodit resolutio

Ad I.: Negative.

Ad II.: Affirmative.

Praepositus et clerus s. Petri reclamaciones pro recessu a decisis seu declaratione emanatae resolutionis sub die prima Sept. 1714 insteterunt sub sequentibus dubiis

I: *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 9. Aug. 1704 super I. et II.?*

II: *An archiepiscopus Theatinus occasione visitationis possit recipere praestationem obedientiae a clero s. Petri terrae Vasti in quacumque ecclesia sibi benevisa?*

III: *An idem archiepiscopus valeat primo loco visitare in dicta terra Vasti ecclesiam sibi benevisam?*

Quibus dubiis EE. VV. rescripserunt: Dilata et reformentur dubia anni 1704 audito archiepiscopo. Ideoque citato archiepiscopo juxta formam infra scriptam dubia reformata fuerunt, eo quia clerus s. Petri non convertit obedientiam episcopo praestare in illa ecclesia, quam in suo primo et solemniter ingressu visitat, sed tota controversia reducitur: an eandem exhibere debeat in ecclesia s. Mariae in aliis visitationibus, cum non probetur ecclesiam s. Mariae esse in rigoroso sensu matricem et alteram s. Petri filialem ad terminos textus in cap.: *Ad audientiam de ecclesiis aedific.*, cum utraque sit parochialis et independens, neque una in adjutorium alterius fuerit instituta et ad hunc effectum neque relevare praetendit d. clerus s. Petri, si ecclesia s. Mariae matrix esset in latiori significato vel ratione

praeeminentiae juxta textum in cap.: *Hisque de major et obed.*, vel quia pro cathedrali et primaria ecclesia habetur ex text: in cap.: *Venerabili de verb. signif.* Consuetudinem recipiendi obedientiam in ipsa ecclesia s. Petri probat ex publicis documentis visitationum et ex testimonio decurionum d. oppidi Vasti aliorumque plurium testium. Verum ulterius purgationem praetendit attentatorum et remotionem inscripti lapidis cum dubiis et resolutionibus anni 1704 hujus s. Congregationis appositi a clero s. Mariae in ejus ecclesia, praecipue cum in secundo dubio denominatio matricis superaddita legatur. Praeterea archiepiscopus in attentatis incidisse deducit eo quia pendente hac controversia die septima Jun. novissimi sub comminatione poenarum coegerit clerum s. Petri sibi praestare obedientiam in ecclesia s. Mariae, quamvis s. visitationem neque tunc perageret nec assistentibus consuetis et opportunis ad s. visitationem stipatus esset. Hinc summa EE. VV. sapientia definiet:

I. An super primo et secundo dubio sit standum vel recedendum a decisis sub die 9. Aug. 1704 quoad primum solemnem ingressum tantum archiepiscopi in terra Vasti, seu etiam quoad omnes alias visitationes ab archiepiscopo faciendas? et quatenus negative,

II. An occasione aliarum omnium visitationum capitulum et clerus s. Petri teneatur praestare obedientiam archiepiscopo in ecclesia s. Petri, seu in alia ecclesia archiepiscopo benevisa?

III. An constet de attentatis et quomodo sint purganda?

S. C. C. resp.

Ad I.: Archiepiscopum posse incipere sol. visitationem a quacumque ecclesia sibi benevisa ibique obedientiam exigere ab universo clero.

Ad 2: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Ad 3: Affirmative et amovendum esse lapidem et amplius.

Die 30. Jan. et 10. Apr. 1717.

r) Personaliter facienda est.

Episcopi obligatio est loca suae dioecesis personaliter visitandi omniaque suis oculis intuendi, cap.: *Conquerente* 16. de offic. ordin., cap.: *Romana* de censib. in 6.

(Ex resol. diei 8. Aug. 1772. *Fa-ventina*.)

Vd.: *Visit. Episc.* (jus et oblig.)

s) Personae visitandae.

Episcopi jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt omnes animarum curam gerentes vel sacramenta administrantes in Ecclesiis Regularium in his, quae ad dictam curam et administrationem pertinent; Bened. XIV. Constitut. 109. incip.: *Firmandis* § 2. Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non vero delegata: *Idem ibidem* § 2. Episcopus cognoscere potest de vita et moribus Parochi regularis, iis exceptis, quae pertinent ad observantiam disciplinae regularis. *Idem ibidem* §. 9. Delinquentem Parochum regularem corrigere potest in quo cumulativam jurisdictionem habet cum Superiore regulari et quidem cum praeponderantia; *Idem ibidem* §. 10. Et idem ipsum etiam potest absque consensu Superioris regularis. *Idem ibidem* §. 11.

Vd.: *Visit.* (eccles. par. et cur. reg.; cleri, benef.)

t) Quoties facienda in anno?

Vd.: *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig. prae- cipe decr. diei 16. Jan. 1723.)

Episcopus visitare potest toties, quoties opus fuerit, non solum Ecclesias communes dioecesis, sed etiam Capitula et Ecclesias cathedrales alias-

que majores et personas illarum: *Communis* per textum expressum Concil. Trid. sess. 6. de reform. cap. 4.

Ad dub.: „An Episcopus teneatur singulis annis visitare totam dioecesim?“

S. C. die 14. Dec. 1654 respondit:

„Affirmative et si legitime impeditus fuerit, per suum Vicarium generalem vel alium visitatorem idoneum debet visitare, ita ut saltem toto biennio absolvatur.

In s. Marci Plurium 16. Jan. 1723 resolutum fuit, quod Episcopus potest per seipsum visitare dioecesim quotannis et etiam pluries infra annum sed absque procuratione.

Visitatio dioecesis quotannis est peragenda vel saltem quolibet biennio, si sit valde ampla: Idem *de Synodo dioecesana* lib. 2. cap. 9. n. 4. Immo Episcopus potest ipsam dioecesim visitare toties, quoties opus fuerit: *Idem ibid.* Unica tamen dumtaxat debetur ei procuratio pro eodem anno quo pluries dioecesim visitat, ut declaravit s. Congr. Conc. die 19. Sept. 1682, quae ad dubium: „An Episcopus, qui, si commode fieri possit, dioecesim suam quotannis visitare tenetur, possit hujusmodi visitationem facere per mensem vel circiter antequam labatur integer annus die peractae ultimae visitationis vel potius debeat exspectare, quod anni circulus integre compleatur, ita ut intra singuli cujuslibet anni cursum una tantum visitatio fiat? respondit: affirmative, sed non posse recipere procurationem nec victualia, nisi semel in anno.“ Et sic etiam in Policastr. Procurationis die 1. Junii 1737, ubi ad quaesitum: „An Episcopus non completo anno ab ultima visitatione possit iterum eandem Ecclesiam visitare et aliam procurationem a visitandis erigere? resp.: Affirmative quoad primam partem et negative ad secundam.“

46) Exemptio.

Vd.: *Visit.* (omissio); *Visit. Eccl. exempt.*

47) Feminarum piarum.

Vd.: *Visit. Laicor.*

In *Visit. Fem. p. peragenda est inquirendum de*

- 1) Fundatione.
- 2) Legibus.
- 3) Habitu.
- 4) Convictu.
- 5) Sacramentis.
- 6) Piis exercitiis.
- 7) Redditu.
- 8) Clausura.
- 9) Numero.
- 10) Regimine.

Gavant. Merat. t. V. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

48) Finis.

(Quae ad finem *Visit.* sunt peragenda.)

Vd.: *Visit. Episcopi* (modus); *Visitatio* (Off. Notarii.)

Index agendorum pro fine Visitationis.

1. Dantur Rectoribus locorum singulorum propria decreta a Notario subscripta: publicanda ab iisdem Rectoribus, etiam aliis, ad quos pertinent.

2. Approbantur rationes administrationum redditae, si bene fuerint redditae, cum subscriptione Visitoris vel Deputatorum ab eo vel Notarii: fiunt praecepta ut solvant ii, qui debent, intra certum terminum, sub poena dupli et aliis.

3. Causae criminales si longiores sunt, reserventur foro Vicarii generalis.

4. Eodem modo civiles, si finiri non queant intra dies visitationis.

5. Vicariis foraneis mandari potest, ut sibi describant in libello proprio decreta omnia, quae singillatim Clero

Episcopo non prohibetur quidem bis quotannis dioecesim suam visitare, sed non nisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere potest, ut ex pluribus s. Congregationis decretis. *De Synodo dioeces.* lib. 7. cap. 53. §. 5.

u) Subdelegatio.

Vd.: *Visit. Ep.* (Delegat.)

Miletan.

Ad dub. 1: An Episcopus Miletan. tanquam Delegatus apostolicus possit subdelegare suum Vicarium generalem vel aliam Dignitatem ecclesiasticam in visitatione dioecesis et praecipue Ecclesiarum, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi?

Ad dub. 2: An Vicarius destinatus in dioecesi Miletan. a reverendissimo Capitulo sacrosanctae Basilicae Lateranen. possit revidere visitationes factas ab Episcopo sive ejus delegato visitatore in dd. Ecclesiis?

S. C. C. resp. ad I: Posse visitare vel per Delegatum etiam Ecclesias sitas in loco Lateranensi ad formam s. Concilii.

Ad II: Negative

Die 23. Apr. 1701.

44) Eremitarum.

In *Visit. Erem. peragenda est inquirendum:*

1) An in Ecclesiis civitatis, suburbiorum vel dioecesis permaneat aliquis eremita absque approbatione Episcopi?

2) An incedat in habitu a constitutionibus apostolicis praescripto?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

45) Examen in visitat.

Vd.: *Visitatio* (res visit.)

sui Vicariatus relicta sunt, ut procurerent executionem.

6. Distribuuntur pia munera, libri spirituales.

7. Et recognoscatur ratio sumptuum pro victu factorum in visitatione loci.

8. In Ecclesia stans Episcopus ante altare in cornu epistolae dicit psalm.: De profundis, Preces et Orationem pro Defunctis, ut in Pontificali in fine visitationis et vadit.

Gavant. Merat. t. V. pag. 71. (Ed. Venet. 1823.)

Praecipuus s. visitationis finis est sanam orthodoxamque doctrinam expulsis heresibus inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; ut post *can. placuit 11. qu. 1. cap. in singulis, de stat. Monach. et cap.: Romana S. sane decens in 6., docet Tridentina Synodus in sess. 24. cap. 3. de reform.*

(Ex resol. diei 16. Maii 1795. *Firmana.*)

49) De Funeribus.

In Visit. de Funer. hoc modo est inquirendum:

1) An in funeribus adsint abusus, puta, quod cadavera associantur sine cruce, sine lumine et sine parochio vel cum ululatu Consanguineorum. Mulieres evellant sibi crines aut aliquid agant gentilium more?

2) An cadavera defunctorum processionaliter ad Ecclesiam ferantur ante ortum vel post occasum solis absque licentia?

3) An tradantur sepulturae ante lapsum temporis viginti ad minus horarum, postquam quem animam e corpore exhalasse pro certo habeatur; eos vero, qui repentina morte, ante lapsum 24 horarum?

4) An parochus aliive sepulturam denegent aut differant praetextu non solutae eleemosynae et an pauperes gratis sepeliantur?

Ecclesiast. c. 7. Ritu rom. de Exequ.

5) An in Ecclesia paroch. adsit sepulchrum pro parvulis decedentibus cum baptismo ante septennium, prout construi debet?

6) An in Ecclesia cathedr. adsit sepulchrum separatum pro Canonicis et aliud pro clericis?

7) An cadavera infantium decedentium sine baptismo sepeliantur prope Ecclesiam in loco non sacro ad id constituto?

8) An coemeteria, quae religiosa loca sunt, undique muro sint circumdata et in medium signum crucis elevetur?

9) An sepulturae constructae et effusae reperiantur subtus altare vel prope et illarum ora suppedanea pertingant? Hae etenim obstruendae omnino sunt, altaria interdicantur.

10) An in Ecclesiis monialium sine licentia S. C. tumulentur cadavera laicorum sive marium sive mulierum? Si hoc enim fieret, interdicatur, dummodo non sint patroni ecclesiae, qui in fundatione hoc jus sibi et haeredibus reservassent vel cum licentia S. C. et monialium sepulchrum ab antiquo tempore haberent instructum?

11) An parochus praeter quartam pro cadaveribus extra parochiam tumulandis aliquid aliud exigit ab haeredibus defuncti?

Id enim vetitum est non obstante contraria consuetudine. S. C. Ep. in civit. Vetulae 2. Junii 1690 et S. C. C. in Mantuana Januarii et 3. Aprilis 1694.

Hortentur Sacerdotes, ut sibi ipsis decedentibus suffragiorum vicem retribuant.

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. post n. 267.)

50) Gymnasior. publ.

In Visit. Gymnas. publ. peragenda est inquirendum de

- 1) Statutis.
- 2) Moribus.
- 3) Professione fidei a Doctoribus, quae curanda est ab Episcopo ex sacra Congr. Conc. sess. 25. c. 2.
- 4) Item in docentibus grammaticam, arithmetica; *ex eadem ibidem.*
- 5) Philosophia falsa impugnanda; ex Concil. Lateranensi.
- 6) Lectione sacrae scripturae; ex Concilio Tridentino, sess. 5 c. 7.

Gavant. Mer. t. V. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

51) Hospitalis.

Vd.: Visitatio Eccles. Confrat. (decr. Turdentina).

Ordinarii locorum possunt visitare hospitalia, Concil. Tridentin. sess. 2. cap. 8. de reformat. Et possunt exigere ab administrationibus rationes et computa, tam in visitatione quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis; Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. et 9. de reformation. et saepe saepius. Immo Ordinarii possunt visitare hospitalia et ab eorum Administratoribus rationes et computa exigere, non obstante quod a Testatore et lege fundationis expresse excludantur; Ordinarii possunt exigere rationem administrationis ab hospitalibus, quae non sunt sub immediata Regum protectione. Sic pluries decrevit s. Congregatio Concilii: Hospitalia autem, quae sunt sub immediata Regum protectione, nequeunt ab Ordinariis visitari, Concil. Trident. c. 8.

sess. 22. de reformat. Hospitalia ali-quod visitare volenti si opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, non ad saecularem Judicem sed ad ipsum Episcopum talis exceptionis cognitio et definitio pertinet; s. Congregatio Concilii apud *Lezanam* tom. 2. cap. 6. num. 11. et apud *Barbosam* in summ. apostolic. decis. verb.: Hospitalia n. 7. et apud alios ibi citatos. Ad hoc tamen, ut hospitalia sub immediata protectione Regum existentia sint immunita a visitatione Ordinariorum, debent esse talia a primaeva sua fundatione nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a Rege sub immediata sui protectione, ut eximantur a jurisdictione Ordinarii; habentur ad hoc responsa et decreta s. Congregationis Concilii in una *Messanen.*

Ordinarii visitare, corrigere et reformare possunt hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum in casibus a jure concessis, scilicet ob negligentiam vel ob dilapidationem bonorum et ut Testatoris voluntas servetur; s. Congregatio Concilii testibus *Barbos.* in dict. summario num. 1. et *Armendar., Marta et Lezana* ab ipso ibi citatis. Hospitalia privata possunt Ordinarii visitare, corrigere et reformare in iis tantum, quae ad observandam voluntatem Fundatorum pertinent, et ex decreto Conc. Trid. sess. 22. c. 9. de reform. exigere rationem ab Administratoribus ipsorum hospitalium una tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est. S. Congregatio Concilii apud *Barbosam* l. c. n. 5. et apud *Armendar.* ab ipso ibi cit. Hospitalia etiam unita in quibus Ecclesiae sunt vel assidue divina officia celebrantur et bona eorum non sunt distincta, debent ab Ordinariis visitari. S. Congr. apud *Lezanam* in summa q. q. Regul. tom. 2. cap. 6.